

05

A

1868





DISPUTATIO HISTORICA
De
Columnis Sethianis,

NB. Cluv. Epist. Hist.
p. 4. hoc columnar
non adfricti

quam

in Florentissimâ Leucoreâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

DN. ÆGIDII Strauchens /

S.S. Theolog. Doctoris, & Collegii Theologici

Asseſſoris Gravissimi, nec non Historiarum

Prof; P. longè Celeberrimi,

DN. Præceptoris, Patroni, Hospitis ac Consanguinei sui omni hono-

ris & observantia cultu æternum Devenerandi

atq; Colendi,

publicè Eruditorum Examine

ſiſtit


A. & R.

M. ÆGIDIUS Strauch /

In Auditorio Majori

d. 10. Julii Ao. 1669.

horis matut.



WITTEBERGÆ

Literis MICHAELIS MEYERI, Anno clō. Iōc. LXIX.



VIRO EXCELLENTISSIMO,
DNO. AUGUSTINO **Strauch**,
COMITI PALATINO CÆSAREO,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS
SAXONICI
CONSILIARIO INTIMO,
EJUSDEMQUE SERENISSIMÆ CELSI-
TUDINIS
AD COMITIA IMPERIALIA RATISBONENSIA
LEGATO SPLENDIDISSIMO,
DOMINO PATRONO AC PATRUELI SUO
OBSERVANTIA FILIALI PERPETIM
COLENDO
SE SUA QVE OMNIA SACRA ESSE JUBET!

EXCELLENTISSIME DOMINE,
*Non agrè ferēs, qvōd humillimè expeto, exiguis hīsce chartis splendidissimū
Nomen Tuū prefixum legi, sed condonabis ob sangvinis necessitudinem; qvā
Tecum mihi intercedit, si qvīd audax nimium peccavero, dum officiosus vo-
lui*

hui videri. Scilicet dum recordor mature, quod habeam, quos sequar, nihilq; me dedecere magis, quam laudatissimis Majorum meorum vestigiis non ubiq; insistere, quo ire licet, pergo alacriter auscultando Preceptoribus meis Optimis, quos in hac Inclytâ Leucoreâ sum nactus, coquendo iterum anima pabulum, quod à Tantis Magistris accepi, ut vertatur tandem in succum & sanguinem mentis meæ, periclitando deniq; ingenii vires, & quid Musarum dapibus expletus valeam. Ita tempus transigere soleo in Celeberrimâ Leucoreâ. Atq; hoc ipsum testabitur, nisi fallor, presens meum Academicum specimen, in quo ostendere laboro, frustra nonnullos, ut eruditionem primi orbis cognoscant, Sethianas Columnas quæ rare, quæ nullibi nisi in Utopiâ collocatæ mihi videntur, vel ad ripam fluminis Sabbatici, in qua cygni, morti proximi,

Dulcia defecta modulantur carmina lingua.

Non insulto quidem Auctoribus, qui à Josepho decepti, fabulam hanc alioquin satis quidem absurdam veram esse crediderunt Historiam, quam ille de priscæ sapientiæ reliquiis annotavit, sed Fabulæ tamen indicia, à me observata, cum Eruditis communico. Caterum nulli alteri, quam TIBI, LEGATE SPLENDIDISSIME, debebantur hæ chartæ, ut officiosissimum nempe animum meum declararem Tibi, pro acceptis beneficiis agerem grates & favorem deniq; Tuum plus quam paternum, quem expertus sum habetenus, abundantius in me derivarem; Tu, Excellentissime VIR, quæ incomparabilis Tua erit benignitas, optimè, quod precor denuo, omnia interpretaberis, valebisq; cum Splendidissimâ Tuâ Familiâ ad arbitrium felix & ego dum vixero, audire expeto.

Excellentiæ Tuæ

Subjectissimus & filiali
obsequio adstrictus
Cliens

M. ÆGIDIUS Strauch.



E origine Scripturæ & literarum

gravissimæ inter Auctores oriuntur controversiæ; Nonnulli enim literas ab æterno originem suam habere arbitrantur, inter quos primum obtinet locum eximius naturæ scrutator C. *Plinius*, qui Libr. 7. Hist: Nat: c. 56. Literis illis æternitatem tribuit. Profanam hanc & paganam Literarum æternitatem, dicente celeberrimo *Bangio*, *Plinio* tanquam Ethnico & Atheo indulgit *Jacobus Sallianus* Tom: 1. Animalium Eccles: p. 119. his verbis: *Ita licuerit dicere, mundi ortum & ejus Auctorem ignorantem rectius dicturo, si æternam literarum scientiam apud æternum DEUM fuisse dixisset, eamq; postea ipsius benignitate communicatam mortalibus.* Quicquid verò hac de re sentiendum sit, manifestum est, cum primo statim intuitu ipsius absurditas deprehendatur. Alii autem literarum originem à tempore antediluviano derivandam putant, sed in hac re iterum permulta dantur sententiarum divortia. Nam nonnulli Adamo literarum originem tribuunt, dicentes: Adamum animadvertentem, se, inexpiabili peccato commisso, non solum obscuram omnium rerum sibi fecisse memoriam, sed etiam magnam vim imprudentiæ ipsius animum penitus perturbasse, primum, memoriæ juvande causa, literarum inventorem fuisse. Vid: *D. Bangi*: Exercit: 1. de Liter: Natal: Quest: III. Alii literarum Auctorem faciunt Henochum, unde & ipsius scripta, etsi adulterina, adhuc hodierno die in Æthiopia monstrata, magno in pretio habentur. Conf: *B. Job: Heinric: Ursin* p. 208. Putant enim, Henochi librum ad diluvium usq; propositum, & tempore diluvii in Arca Noæ conservatum fuisse. Inter illos, qui hunc librum ostendere haud recusarunt, fuerunt etiam Comes Mirandulanus, qui Capnio Henochi Codicem, ingenti soluta pecuniæ summa, tribuit, & *Wilhelmus Postellus*, qui istum librum pro inæstimabili thesauro habuit.

A

Confer:

Confer: Maximè Reverendus atq; Excellentissimus Dn.D.
Egid: Strouch, Hospes & Confangvineus meus omni honoris
 ac observantia cultu æternum Devenerandus, in Præl: suis Publ:
 In horum sententiam non ægrè inclinat *Jacobus Bulduc*, qui
 lib. 1. c. 14. *Noachus*, inquit, *mandavit, Scripta Henochi diligen-*
ter conservari, & reposuit in Arca tempore diluvii, non minori soli-
citudine, quam Patres Adami & aliorum Patriarcharum ossa, ut
qui ejus, quem DÈus rapuerat, ossa, quæ servarentur, habere non
posset, Scripta tanquam sacratissimum pignus & depositum sibi atq;
posteritati custodiret &c: Præprimis verò Librum Henochi pro-
 bare volunt ex Epist: Jud. v. 14. in qua sequentia leguntur ver-
 ba: *Prophetavit de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce*
venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes,
& arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum &c:
 Quid verò hac de re judicandum sit, perspicuè explicat doctis-
 simus *Hottingerus* in peculiari dissertatione de Prophetia Heno-
 chi. Alii literarum antiquitatem ab Enoxi temporibus dedu-
 centes, permulta notatu digna ipsum scripsisse dicunt. Ita sen-
 tit *Genebrardus* Chronographiæ l. 1. p. 10. Refert enim Eno-
 sum de Religione & modo orandi DEum, & disciplinis scri-
 psisse. Quale vero Judicium de tali ferendum sit sententia, fa-
 cile exinde patet, si aliorum Scripta simul cum his conferamus;
 Nam aperta contradictio in istis apparet, contradicunt enim si-
 bi, dum alii Henocho, qui septimus ab Adamo, alii Enofo, qui
 tertius saltem ab Adamo fuit, uti testis est *Marianus*, literarum
 originem tribuunt. Alii deniq; pro literarum inventoribus
 habent Sethum, illiusq; filios, dicitur enim, ipsos varia porten-
 ta literis probasse, uti id clare exponit *B. Johann: Hein: Ursin:*
 p. 216. & *Valentini*, inqviens, *Eonum Doctoris scholâ prodierunt*
Gnosticorum quasi myrmecia, Cajani, Abelita, Sethiani, Archon-
ici: Hi fabulantur, Sethum à virtute supernâ, boniq; Dei ministris
Angelis, raptum in Cælum, didicisse, τὸν νομοποιὸν Θεὸν non esse
eum, cui servire debeat bona mens; sed etiam esse ἀκατοῦματον
δυναμὴν, τὸν ἀνα ἀγ Θεὸν Θεόν Hæc portentia probatum ibant li-
 bris, quos alios Sethus ipse, alios ejus filii septem conscripserint.
 Porro varia excogitantur media, quibus Antediluviani literas

suas

suas conservare voluerunt. Dicitur enim, nonnullos literas tabulis aureis, lapideis, æneis & gemmis etiam insculpisse. Plurimi autem antiquas, quæ finguntur, literas in tabulis tantum chartaceis conservatas fuisse arbitrantur; alii literas vel æneis, vel lapideis, vel lateritiis, vel similis materiae columnis insculpisse dicunt. Ex hoc figmentorum cœno eruerunt quidam fabulam de Columnis Sethianis, de quibus hac vice aliquantò prolixius agere animus est. DEus conatibus adfit!

§. 1. Historiam de columnis istis Sethianis exponit *Josephus* libr. 1. Antiquit. Jud. c. 3. dicens: σιφίαν ἢ τὴν καθ' ἑρμῆνα, καὶ τὴν τῆς Διακόσμησιν ἐπενοήσαν. Ἐπερ ἢ ἔμὴ Διαφυγάν τὰς ἀνδρώπας τὰ εὐρημένα, μηδὲ, σφῆν εἰς ἰγνώσιν ἀλθεῖν. Φηρῆναι, παρερηκότ. α. Φανισμόν Ἀδάμ ταν ὅλων ἔσχε, τὴν μὲν καθ' ἰγνὴν πυρός, τὴν ἐπερ ἢ καὶ εἰαν καὶ πλῆθ. ὕδατ. σήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν ἐκ πλίνθας, τὴν ἢ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέρως ἐνέγραψαν τὰ εὐρημένα, ἵνα καὶ τὴς πλινθίνης ἀφανισθείης ὑπὸ τὴς ἐπιουβρίας, ἢ λιθίνης μέναισα ὑπόσχη μαθεῖν τοῖς ἀνδρώπαις τὰ εὐρημαμένα. δηλώσαι, καὶ πλινθίνην δ' ὑπὸ αὐτῶν ἀνατεθῆναι. μένδ' ἀρει. ἔδευρε καὶ τὴν Συρίαδα. Verba hæc latinè ita sonant: *Nepotes Sethi, sideralem scientiam, ac caelestium rerum cognitionem excogitarunt. Ne autem inventa sua ex horum notitia dilaberentur, & prius perirent, quam pernoscerentur, scientes, Adamum universalem rerum interitum præcivisse, unum incendio, diluvio alterum, excogitatis duabus columnis, una lateritiis, altera lapideis, utriq; sua inventa inscripserunt: ut, si lateritiis diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet, vel, lapidea igne abolita, maneret lateritiis, manet autem lapidea adhuc usq; diem in Syria.*

§. 2. Auctores harum Columnarum non iidem omnibus sunt; Alii enim faciunt Adamum, dicentes: ipsum hanc ob causam tales erexisse columnas, quo literas, juxta eorum opinionem à se inventas, posteritati communicare posset. Ita sentit *Alsted:* in Chron: uti & *Jacobus Boulduc* de Ecclesia ante Mo-

Sen l. 1. c. 1. Hos sequitur Carion in Chronic: p. 17. qui etiam
 quoniam ob alium finem, Adamum auctorem harum colum-
 agnarum facit, scribit enim, Adamum duabus tabulis lapideis im-
 pressisse initia creationis, lapsum hominis & promissionem, uti
 hocce annotavit B. D. Dorsteb: in Theolog: Zach: Alii hanc
 Columnarum structuram attribuunt τῷ Kainan, videatur Hi-
 storia Ebraea Salmanticensis l. 2. c. 11. apud Drusium in Notis ad
 Severum Sulpitium p. 21. Alii has columnas à Chamo inven-
 tas esse volunt; ita sentit Caspianus Collat: 8. c. 21. Sethum, in-
 quiens, naturalium rerum noticiam, paterna quasi hereditate ac-
 ceptam, posteris commississe: Hos in deterius datos præci-
 pites, curiosas Maleficorum artes, Magicasq; superstitiones
 instituisse; demonesq; pro DEO venerari docuisse, editis et-
 iam libris memorialibus: Eorum librorum cum nullum Cha-
 mus, artibus illis sacrilegis infectus, vetante patre & piis fra-
 tribus, secum in arcam diluvii tempore inferre posset. studiosè
 id genus nefanda commenta passim metallorum laminis ac
 durissimis lapidibus insculpsisse: ita conservata fuisse.
 Nonnulli verò præsertim ex Arabibus opinantur, Chamum,
 qui aliasmet primus fuisse rerum, quas ante diluvium observa-
 rat, curiosarum propagator fertur, ejusq; Posteror post tempus
 diluvii Pyramides diluvio in imum projectas, quæ ipsi Chamo
 etiam ante diluvium haud ignotæ erant, in pristinum locum
 iterum collocasse, ne Proavi sui ex memoria Posterorum facil-
 limè deciderent. Conf: Athanas: Kircher: in obelisc: Pam-
 phil: p. 45. Alii harum columnarum inventionem tribuunt
 Cainitis, uti docetur apud Nauclerum, & in Historia Scholastica.
 Alii Henocho, ut Viterbiensis in Commentar: super Berofum.
 Alii Tubal & Tubaleam columnas illas erexisse arbitrantur, uti
 Bergomas scribit.

§. 3. Nonnulli deniq; harum columnarum Auctorem
 faciunt Sethum, uti Eustathius in Hex: p. 47. dicens. ὁ Σηθ ἐν
 ἡλικίᾳ γενόμενος πολλὰς δεξιὰς ἐπένοησεν, ὧν καὶ τὰς ἀπορόντας
 αὐτῷ ζηλωτὰς κατὰ λέγειν. ἐτὸ γὰρ πρῶτῳ ἀστρονομία, καὶ
 πᾶσαι τῶν ὀφθόντων ἐφευρεθῆσαν ἀκόσμητον, ἵνα ἀξίῃ τῶν ἐξείκτων
 χροῶν ἀγαθῶν τῶν ὁσίων ὁ ἄδამ παρὰ τὸν θεὸν μέλλων γὰρ
 πλάσσειν ὁ ἄδამ προφητείας τις παρὰ τὸν θεὸν τῶν ἐξ
 κόσμου

ἡσσω Φύσιν ἀπαλείφειν πύρι, Ἐὐδαί, ἢ ἀέσαντες οἱ ὄφι πύ-
 ρηθ' δυο σήλας ἐποίησαν, τὴν μὲν ἐκ λίθου, τὴν δ' ἐξ ὀπίης πλίνθου
 καὶ πασθεύσαντες. καὶ ἐν ταύταις πῦσαι τὴν θεράμιον Φοεῖν ἐνε-
 χάραξαν πρὸς τὴν ἀληθινὴν τὴν ἀστρονομίαν ἀπάν γενέσθαι
 εὐρεσιν. ἵνα εἰ μὴ ὕδατι τὰ πάντα φθείρηται, ἢ λίθῳ σήλη φυ-
 λάττεται, εἴ ἢ πυρὶ ἢ ὄσρα καὶ ὄσθης. γενομένης ἔν τῆς κατωθείας, ἢ λί-
 θῳ σήλη διέμενεν ἢ πρὸς ἀχρὶ τῆς δευτέρας μείψ' ἐν γῆ τῆ Σηίρειάδ ἐ-
 σηλωμένη. Hoc est: Seth a tate ineunte, multas reperit virtu-
 tes, quarū imitatores Posterōs reliquit. Hic n. primus Astro-
 rum scientiam, totamq; rerum caelestium descriptam distin-
 ctionem excogitavit, quam, ne extremis temporib; evanesce-
 ret, tali meditatione, curaq; sustentavit. Adam n. mortī vici-
 nus, Deum, universam hanc mundi naturam, & igne & a-
 qua exterminaturum, filius suis vaticinatur, quo audito qui
 una cum Seth erant, duas erexerunt columnas, unam quidem
 ex lapide, alteram ex silibus laterculis extructam, & in his
 omnes Caeli motus inscripserunt, ne eorum in astrorum sci-
 entia observationes, inventaq; aliqua obscuraret oblivio. Si
 enim aqua omnia consumi contigisset, lapidea illa columna
 conservaretur, si igne, testacea; cum itaq; aqua pluvia ter-
 ram inundassent, lapidea permansit, quae ad huc usq; tempo-
 ra in terra Seiria erecta conspicitur. Alii erectionem ha-
 rum columnarum tribuunt Sethianis, ut Josephus l.c. dicens:
 Nepotes Sethi sideralem scientiam, ac caelestium rerum cognitionem
 excogitarunt &c: Item Sabellicus & Serenus, quamvis hic lon-
 gè aliis circumstantiis, quam ille, rem declarat.

§. 4. Materia Columnarum Sethianarum itidem est
 dubia, nonnulli enim arbitrantur, Sethum inventa sua, quo ser-
 varentur, duabus columnis, alteri aeneae, alteri lateritiæ, inscri-
 psisse, quo, si lateritiam diluvio deleri contingeret, aenea super-
 ftes foret; si autem aenea igne interiret, quo tunc lateritia homi-
 nes praeitorum certiores redderet. Ita Genebrardus alteram ex
 nostris columnis aeneam, alteram autem lapideam facit. Item
 Pineda in Jobum T. 2. f. 93, dicente B. W. althero in spicileg. præ-
 far.: putat, alteram ex hisce columnis, quibus Sethiani inventa

sua inscripserunt, fuisse aeneam, quo tempore diluvii, lapideam de-
 structa, illa superstes maneret, & eo respexisse Jobum, quando
 c. 19. v. 24. desideravit scribendorum sermonum su-
 orum monumentum, aliquod vel plumbeum, vel lapideum.
 Præcipua verò causa esse potest, ob quam fictitiarum columna-
 rum Sethianarum materiam facimus partim aeneam sive la-
 minas, partim lapideam sive lapides, quia etiam de aliis colum-
 nis antediluvianis traditur, illas fuisse vel aneas vel lapideas,
Petr. Commest. enim in *Histor. Scholast. Genes. c. 39.* uti refert do-
 ctissim. *Johann. Heinric. Ursin.* p. 226. de hujusmodi columnis ita
 loquitur: *Ning vicit Chã, qui regnabat in Bactria. Is dicebatur Zo-
 roastres, inventor Magice artis, qui & septem liberales artes in
 quatuordecim columnis scripsit, septem aeneis & septem lateritiis,
 contra utrumq; Judicium vel diluvium, aquæ scilicet & ignis.* Ita
Cassianus quoq; *Collat. 8. c. 21.* nominat diversorum metallo-
 rum laminas, quæ aquarum non corrumperentur injuria, & du-
 rissimos lapides, qui vim ignis non sentirent, quibus sua inscri-
 pserit Chamus.

§. 5. Secundum alios materia Columnarum Sethia-
 narum fuit lapis, ea forte de causa, quod hæc materia durabilior
 & olim & hodie columnarum materia fuerit. Sic antiquis tem-
 poribus apud præcos Ægyptios columnarum sive obeliscorum
 materia fuit marmoris quoddam genus, variis coloribus gutta-
 tim veluti aspersum, quod alias vocatur Pyrites, principalis
 enim lapidis substantia rubro colore fulgebat, cui nunc chrystal-
 linæ sive Amethystinæ, jam cinereæ vel cœrulei coloris, modo
 nigri sive varii marmoris particulae, hinc inde per totam sub-
 stantiam lapidis commistæ spectabantur. Exinde Ægyptii obe-
 liscos suos Soli dedicabant, nam Sol in quatuor mundi Eleme-
 ta suum dominium potissimum exerit; hinc dominium Solis
 per obeliscos, quos digitos Solis vocarunt, denotabant, per qua-
 druplicem enim missionem quatuor Elementa significabant.
Conf. Kircher: in *Obelisc. Pamphil. l. 1. c. 5. p. 50. Plin. l. 36. c. 8.*
 Et tali materia fuit etiam conflatus Obeliscus in honorem Solis
 à Phœnicibus erectus, de quo quoq; agit *Kircher:* in *Obelisc. Pam-
 phil. l. c.* Hujus sortis etiam Obeliscum sive Columnam in In-
 sula

fula Tiberina extitisse fertur; Cum enim insula Tiberina in formam navis ædificata tradatur, obeliscum in medio insulae erectum, formam mali in medio navis expressisse, verisimile videtur. Et tali materia itidem fuerunt duæ tabulae lapideae Adami, de quibus supra ex *Carion*: in Chron: p. 17. prolixius egimus. Hodierno quoque die permultæ columnæ lapideae, ab Antecessoribus nostris erectæ variis locis superstites deprehenduntur. Sic Romæ ad hodiernum usque diem duodecim columnæ lapideae apparent. Item, in Ægypto plurimi adhuc supersunt obelisci lapidei, præprimis autem in Asina urbe, quæ supra Thebas antiquas sita est. Constantinopoli quoque ad hunc usque diem duo obelisci lapidei in circo maximo Byzantino collocati videntur, qui à Theodosio in hujus urbis ornamentum ex Ægypto translati sunt. Vid. *Kircher*: in Obelis. Pamphil. l. 1. c. 7. Nostris etiam temporibus columnas lapideas erectas habemus. Sic Frankfurti ad Manum hæc seculo columnæ aliqua lapidea forma pyramidalis in rebellionis memoriam erecta est. Item Romæ ante aliquot annos in pacificationis Pisanae coactus fuit Alexander VII. Pontifex lapideam columnam incidere insolentiam Corforum in Duem Cregvium Oratorem Regis Gallia, & exilium hoc nomine Corsis indictum.

§ 6. Nonnulli contra ex duabus his columnis alteram lapideam, alteram lateritiam fingunt. *Josephus* enim in textu Græco asserit, alteram columnarum ἐκ πλίνθῶν, laterem, alteram vero ἐκ λίθων, lapidibus structam esse. Conf. Doctissimus *Bangius* p. 126. Nam duplex futurus erat interitus mundi, alter incendio, alter diluvio, ne autem inventa sua ex hominum notitia dilaberentur, hæc columnas excogitasse feruntur. Putarunt enim, lapideam non potuisse interire tempore diluvii, quia è lapide, ingenti & admirabili duritie prædita, & immuni ab omni æris injuriâ, exstructa dicebatur, nam lapides non unâ eademque gaudent duritie & crassitie, lapis enim lapide durior & crassior est, & ex materia magis compacta constat, partesque solidiores habet; Et contra arbitrati sunt, lateritiam superstitem fore tempore incendii, quia lateris natura ita est comparata, ut ipse igne potius constantior reddatur, quam ut plane tollatur; Nam

Nam muri è lateribus compacti temporibus maximorum & in-
extingvibiliùm incendiòrum destrui haud possunt, in igne enim
multò magis transformantur & indurantur; Hinc, illas colu-
mnas igne iterum perire, impossibile esse, nam qvo major flam-
ma adesset, eo majorem etiam adipiscerentur duritiem, qvo-
cunq; enim modo lateres acciperent duritiem, eo ipso modo
non possent iterum amittere.

§. 7. Sicuti autem cætera in columnis Sethianis fundamen-
to certitudinis carent, ita & hæc, quæ de harum Columnarum
forma circumferuntur, æqvè incerta videntur. In dubium
etiam adhuc vocatur ab Autoribus, anne monumenta ista colu-
mnæ, an verò tabulæ fuerint? Nam ambæ è tali materia con-
fici poterant, quæ tempore diluvii & incendiù conservarentur,
uti enim è columnis altera lapidea, altera lateritia dicitur, ita
& è tabulis alteram æneam, quæ superstes maneret tempore di-
lucii, alteram autem lateritiam, quæ tempore incendiù super-
stes, hominibus discendi copiam faceret, fuisse putatur. Sic
Genebrard. l. 1. Chronogr: monumenta illa Sethiana modo
tabulas, modo vocat columnas. Tandem verò scribit, eas fu-
isse tabulas, unam æneam, contra aquæ illuviem, alteram late-
ritiam, contra ignis conflagrationem.

§. 8. Præterea, si aliarum columnarum sive pyramidum,
tam antiquarum, quàm hodiernarum, formam aspiciamus, co-
lumnis nostris Sethianis, si aliter extitissent, facile aliquam for-
mam attribuere possemus. Sicuti enim Pyramis à summo fasti-
gio, veluti à puncto incipiens, per lineas in superficies & corpus
abiens, paulatim in omnes partes dilatatur; omnis pyramis e-
nim, nimirum pyramis Triangula inordinata, quæ pro usitatis-
simis habentur, ex meris Triangulis Isoscelib; constat, quæ duo
tantum latera habent æqualia: Ita etiam columnæ Sethianæ ab
unico principio se incipere, & per lineas in superficies & corpus
extendi potuissent. Nam tali modo extructæ, eò facilius à Cœ-
li & æris injuriâ ac tempestatibus immunes fuissent, ne pluviam
& grandines illarum columnarum insculptas literas & imagi-
nes corrumpere, sed omnes guttulæ delapsæ sculpturæ nullum
adhibuissent incommodum. Hinc procul dubio factum est, ut
B. Johann: Henric: Ursin: p. 207. columnis quadratam attribuat
figu-

figuram dicens : *Videntur sane Romæ in Bibliotheca Vaticana esse Columnæ quadratæ, in quibus Adami, Filiorumq; Sethi &c. litera proponuntur.* Quadratæ autem dicuntur illæ Columnæ, non ac si omnia latera æqualia fuissent, quod ad figuram quadrilateram Parallelogrammam requiritur; sed quod tantum quoad basin quadratæ dicantur. Cæterum illarum figurarum altiudo perpendiculariter extollitur, & in acumine superficies unijuntur. Maximè autem in talibus columnis sive pyramidibus respicitur ad basin, basis enim fundamenti vicem & ornamentum præstat, quam sustinet, statua; Nam, si basis labilis & firmo fundamento carens exstruatur, tota etiam pyramis sive statua inconstans erit, præprimis quoque, quia basis unica columnæ pars est, quæ maximum pondus & molem sustinet, ideoq; præ cæteris interitus periculo subjecta videtur. Exemplum clarissimum, in quo semper maxima baseos cura in pyramide habitavit, exponit *Vitruvius* 10. Archit: 6. *Nostri, inquit, memoriam, cum Colosici Apollinis in fano basis esset à vetustate fracta, & metuentes, ne caderet ea statua & frangeretur, locaverunt ex lapidicinis basin exciderdam. Hæc autem basis erat longa pedes 12, lata pedes 8, alta pedes 6.* Observandum autem est, quod basis statua semper debeat correspondere, minorum enim minorem, majorum autem majorem esse oportet basin. Hæc omnia etiam ad nostras fictitias columnas Sethianas applicari possunt, nam si tales unquam in rerum natura fuissent, illæ quoque firmo & ipsarum mole correspondenti fundamento sive basi gavisi essent; Legitur enim apud *Josephum* l. c. alteram ex his columnis suo tempore adhuc in Syria visam fuisse.

§. 9. Finis deinde, quæ quem columnæ Sethianæ erectæ dicuntur, fuisse fingitur, quod nimirum Nepotes Sethi inventa sua istis columnis inscriberent, eaq; hoc modo posteritati traderent. Qualia verò isthæc inventa fuerint, adhuc sub Judice lis est, contenta enim diversa exprimunt diversi. *Sabellius* scribit, à Setho prognatos in columnis hisce totum de consummatione mundi arcanum inscripsisse. Alii, & quidem illi potissimum, qui Chamum Autorem harum Columnarum faciunt, statuunt, hisce columnis inscriptas fuisse curiosas maleficorum artes, præstigias ac Magicas superstitiones, uti *Casianus Collat:* 8. c. 21, tradit, *Sethum*, dicens, *naturalium rerum notitiam; pater-*
na qua-

*na quasi hereditate acceptam, Posteris commississe: Hos in deterius datos precipites, curiosas Maleficorum artes, magicasq; superstitiones instituisse, Demonesq; pro DEO venerari docuisse, editis etiam libris memorialibus: eorum librorum cum nullum Cbamus, artibus illis Sacrilegis infectus, vetante patre & piis fratribus, secum in arcam diluvii tempore inferre posset, studiosè id genus nefanda commenta passim metallorum laminis ac durissimis lapidib; insculpsisse: ita conservata fuisse. Genebrardus l. c. putat, in Columnarum Sethianarum primâ liberales artes, præsertim doctrinam de DEO & Mathematicam, in altera promissionem de Christo Adamo factam cœlatam fuisse. Josephus artes Mathematicas Columnis Sethianis inscriptas commemorat, dicit enim: Nepotes Sethi sideralem scientiam, ac celestium rerum cognitionem excogitasse. Josephum quoque sequitur Eusebius Antioch: in Hex: p. 47. qui nominat motus cœlestes τῶν ἀστρον τῆν ἑρμῶν Φορὰν & τῆν τῆς Ἀρεσουλίας ἀυτῶν ἕρπην. Item Plinius libr: 7. c. 56, Epigenes, ait, apud Babylonios 720. annorum observationes siderum cœtilibus laterculis inscriptas docet, quod ad Columnas hæc refert Allat: in Eust: p. 216. Becanus columnarū Sethianarum existentiam aliasmet fortiter defendens, hæc columnis religionem & vaticinia, à majoribus edita, insculpta fuisse opinatur l. 1. Hieroglyph: dignam, in-
 quiens, piis viris curam audim; dum magnâ sollicitudine hoc agit; ne astrorum ulla unquam ratione perdat, quo nihil est, quod sui ipsiq; cognitionem facilius & certius quæat tueri! Si benè res omnes expendissent, hæc cura Soli & Luna, qui saterorum siderum reversiones metiuntur, relicta, hoc omni studio contendere debuissent, ne oracula de generis humani per Christum salute, apud Posteros ignorarentur. Diluvium autem futurum legimus Noacho primum à DEO fuisse revelatum, & ejus Scriptoris, qui hoc prodidit, tanti facimus Auctoritatem, ut eos, qui diversa tradunt, aut nibili aut minoris nibilo astimemus. Benè igitur valeat Josephus suus suis columnis, nos interim Mosè sequamur, ne tam sinistra*

fram de Sethianorum piis animis concipiamus opinionem; ut majorem Astrologia, quam Religionis & vaticiniorum, à Majoribus editorum, rationem atq; curam eos habuisse dicamus. Scholastici purant, Sethi Nepotes Musicam & artem ferrariam, similesq; à Cainitis inventas hisce columnis inscripssisse. Alii autem dicunt, varias antiquitates columnis Sethianis inscriptas fuisse. Ita *Isaac: Vosius* in *Diss: de Aeternit: Mundi* c. 10, p. 271. putat, columnas Judaicas eas fuisse, quas Judæi crediderint à Setho esse collocatas, & Manethonem jactitasse, se ex iisdem Ægypti antiquitates cognovisse & collegisse.

§. 10. Deniq; inter se dissentiunt, quomodo hæc scripta fuerint, num per Hieroglyphica, num verò per literas. *Sabellicus* ipse faretur, dubium esse, an in istis columnis litera, an vero animalia, cæteraq; figuræ & Hieroglyphica calata fuerint, præprimis, quia non adeo diu post diluvium Ægyptiorum sapientia inceperit, qua plerumq; in Hieroglyphicis consistebat. *Schiagia* enim *Arabs Historicus* apud *Kircher: in Oedip: l. 2. p. 11. p. 173.* dicit, Ægyptios post diluvium in variis scientiis edoctos fuisse. *Schotanus* p. 58. arbitratur, fuisse literas, easq; antiquissimas, quibus sacer Codex exaratus fuit, libeat nunc sive Assyrias, sive Samaritanas literas assignare. Item *B. Johann: Heuric: Ursin* in loco supra citato procul dubio quoque intellexit literas, quia visuntur, inquit, in *Bibliotheca Vaticana octo columna quadrata, in quibus Adami, filiorumq; Sethi Litera proponuntur.* Nam si illo tempore litera jam in usu fuissent, certè Nepotes Sethi etiam in suarum Columnarum inscriptione tales adhibuissent, litera enim pro optimo aliquid posteritati tradendi modo habentur. Probabile enim videtur, Nepotes Sethi juxta horum sententiam usos fuisse literis, cum Mathematicis & aliæ modo dictæ artes optimè posteritati per literas tradi potuissent. Celeberrim, *Job. Henric: Ursin* p. 212. pro hac sententia confirmanda allegat testimonium aliquod his verbis: *D. Bangio, cum librum Henochi diligenter refutasset, tandem tamen concludere non dubitavit; non tamen propterea Henochi omnem scripturam literarum antediluvianarum temerè adjudicandam esse: Quid ita! quoniam, inquit, inter Adami Posteros fuerunt, qui duabus columnis sua in-*

ventainscripterunt. Sed, quales literæ, an ne nimirum Assyria, Samaritana &c: fuerint, ab ipsis Scriptoribus non indicatur. Doctissimus *Bangius* p. 125. scribit, Sethum, secundum Angeli Rocchæ sententiam, characteres in columnis cælato cum hodiernis Samaritanorum characteribus communes habuisse.

§. II. Non autem principalis Neporum Sethi in erigendis columnis finis fuit, ut his tantum inventa sua inscriberent; sed potius, ne inventa sua ex hominum dilaberentur notitia, & prius perirent, quam pernoscerentur, ac nemini discendi copiam facerent. Hunc ipsorum scopum clarè exponit *Sabellicus* l.c. Ita etiam sentit *Eustathius. B. Johann. Hein. Ursin.* l.c. itidem indicat, principalem columnarum Sethianarum Erectorum scopum, dicens: *Illa summo in pretio esse habenda, quæ sanctissimæ & celeberrimæ Viri posteritati tradere, & in mundum usq; alterum propagare laborarint.* Haud ignotus enim erat Sethi Nepotibus duplex mundi inreritus. Nam ipse in subsequentibus dicit, quod prima vice de Judicio Domini publicè concionatus sit Henoch, & primo de diluvio Naah, quæ ratio postmodum fuit duarum diversæ structuræ columnarum.

§. 12. Locum, in quo Columnæ Sethianæ positæ dicuntur, certum determinare non possumus. Alii arbitrantur, istas columnas à Sethi Nepotibus erectas esse in monte sive loco aliquo elevato, nam Sethi familias in monte habitasse dicitur. A *Seldeno* enim de Diis Syris p. 45. citatur Codex Arabicus, in quo legitur, Sethi familias, posterosq; montis occupasse cacumen, in quo Adamus sepultus est. Probabile verò videtur, Sethi Nepotes columnas suas, si unquam hoc opus suscepissent, in illo loco, in quo habitarunt, erexisse, præprimis etiam, quia iste locus elevatus, tempore diluvii leviori & mitiori aquæ impetu, præ loco aliquo plano, tactus, & prius etiam, quam locus planus, exsiccatus fuisset. Locum quoq; aliquem nominat *Eustathius Antioch.* p. 47. ἐν γῆ τῆ Σηθίας, per quem plurimi Syriam intellectam volunt; sed non omnes in unum consentiunt, quod verba hæc tali modo explicanda sint, ut per illa indicetur Syria. *Vossius* enim de Ætate mundi p. 271. putat ab *Eustathio* Antioch: intelligi terram, quæ Jud. 3. v. 27. describitur ad montem Euphratim. Quod verò sententia isthæc falsa sit, exinde patet, quia

quia Josephus suo tempore alteram adhuc ex istis columnis dicit fuisse in Syria; jam autem Ephraim in Syria sita non erat, cum Ephraim pars terræ sanctæ fuerit, non item Syria.

§. 13. Quamdiu postmodum columnæ istæ Sethianæ duraverint, in nullo probato Auctore reperitur. Conantur e- quidem nonnulli, durationem columnarum Sethianarum ex- primere; sed ipsorum dicta omni fundamento veritatis carent. Multi enim dicunt, columnam lapideam superfuisse in Syria ad Josephi usq; tempora, lateritiâ verò diluviū delevisse. Immo *Eustatbius* p. 47. dicit, usq; ad sua tempora lapideam perman- sisse. *Eustatbius* autem, juxta *Leon: Allat:* sententiam, vixit tempo- ribus Constantini, & usq; ad 30. annum hujus Imperii scriptum suum continuavit.

§. 14. Cæterum, quæcunq; circumferuntur de his colu- mnis, omnia esse figmenta jam jam ostendendum est. Ubi il- lud prius assero, me in dubium non vocare, anne columnæ quæ- dam extiterint quæ Sethianæ fuerint appellatæ; sed an Sethus velejus Posteri Antediluviani illarum Auctores fuerint? quod posterius nego. Primò enim Scriptores Sacri hac de re haud quicquam annotarunt, cum tamen nulli præter eos de Ante- diluviano hoc factò infallibiliter constare potuit. Nam in om- nibus antediluvianis rebus gestis nihil certi annotatum habemus, nisi quod à Scriptoribus Sacris factum sit. Cætera ple- rumq; quæ circumferuntur, pro fabulis & supposititiis scriptis habentur.

§. 15. Secundò rem dnbiã faciunt diversæ Auctorum sententiæ de his columnis; Alii enim dicunt, Columnarum ha- rum primum Auctorem fuisse Adamum, alii Chamum, alii Heno- chum, & alii Sethum; alii putant, alteram ex his columnis fuisse lapideam, alteram lateritiã, alii autem alteram æneam, alteramq; lapideam faciunt; alii arbitrantur, hæc monimenta Sethiana fuisse tabulas, alii columnas, & sic porro. Si ergò tam multiplex detur contradictio, quomodo quæso aliquid certi de istis columnis constare poterit, omnia enim, quæ proferuntur à Scriptoribus, adhuc in dubium revocari possunt; quia cuncta Scriptorum tradita Scripta sibi invicem sunt contraria. Jose- pho etiam de istis columnis infallibiliter constare non potuit, quo infallibili traditione de columnis hisce aliquid scribere po- tuisset,

tuisset, nisi id singulari Spiritus S. revelatione & beneficio facti
fuisset, quod tamen in Mosen potius, quam in Josephum ceci-
disset; quia verò Moses hanc rem silentio planè tranfit; idè et-
iam Josepho infallibilem hujus rei traditionem adscribere mi-
nimè possumus, sed potius illius hac de re annotata pro com-
mentis, ex supposititiis scriptis provenientius, meritò habemus.
Revelatio quoque de futuro mundi interitu legitur facta Noa-
cho Gene: 6. non Adamo tantum, & revelatio illa anterior non
censenda est infallibilis, verum pleriq; Scriptores ad revelatio-
nem Adamo factam attendunt, quia structura harum colum-
narum contradicere videtur ordo & tempus decreti divini, re-
velati de universali rerum interitu.

§. 16. Tertiò supervacanea etiam videtur Columna-
rum Sethianarum structura, cum vel crediderint columnarum
Auctores omnium hominum, vel quorundam interitum futu-
rum diluvio aut incendio. Si illud, non opus scientiis, late-
rem enim ii lavassent, qui, omnibus hominibus ab universali
diluvio vel incendio interfectis, varias scientias posteritati com-
mittere voluissent, cum nemo superstes eas intelligere & addi-
scere potuisset. Si hoc, non opus columnis, superstitiis Præ-
ceptoribus vivis. Nam *quotquot vivebant Patriarchæ, ut ipse
ait D. Bangius, dicente B. Johann: Heinric: Urfin: p. 206. tot viva
extabant volumina, ut ex Commentario sapere nec liberet, neq;
necesse foret, cum tot præsto essent Doctores vivi quorum quisque di-
ci posset βιβλιοθήκη ἐμψυχος, καὶ περιπατῶν μυστικῶν. Biblio-
theca animata, & museum obambulans.* Melius etiam quis
mentem suam viva voce, quam per literas & scripta explicare
potest. Non autem putandum est, Antediluvianos planè nul-
lam literarum notitiam habuisse, sed quia commodius fuit tunc
temporis hominibus viva voce, quam literis consilium, longæ-
vitas enim Antediluvianorum in causa fuit, qua semper scientiæ
ab uno ad alterum propagari potuerant.

§. 17. Supervacanea insuper quoque videtur duarum co-
lumnarum Sethianarum structura, hanc ob causam, quia utraq;
tam tempore diluvii, quam incendii durare & interire potuit.
Hac de re haud in eruditè sentit. *B. Johan: Heinric: Urfin: p. 215.
Utraq;, inqviens, æquè vel durare potest tam in diluvio, quam in
incendio vel fatiscere: aut qui factum est, ut, lateritia in ca-*
taclys.

*saclysmo qvass colliqvafacta, non labefacta fuerit lapidea? Deniq;
si hac usq; ad Josephi tempora superfuit in Syria, cur locum, ubi
fuerit, non consignavit? cur nemini visa, nemini memorata?
neq; repertus fuit usquam, qvi Sethianorum divina reperta inde-
stigaret, orbisq; traderet?*

§. 18. Deinde etiam, posito, duplicem mundi interitum futu-
rum fuisse, scilicet incendio ac diluvio, & Sethianos inventa sua con-
servare voluisse, unica tantum suffecisset columna. Qvía aut intel-
lexerunt Adami Vaticinium de ultimo mundi interitu per ignem Seth-
iani & Patriarchæ antediluviani, aut non intellexerunt. Illud fami-
liarè Patriarchalis Principibus, in qvibus λογία DEI servabatur, ad-
scribendum non videtur, nec putandum, Adamum vaticinii Aucto-
rem, qvòd communicandum cælitus acceperat, sensum non expo-
fuisse. Hoc dici simpliciter non potest, nam, si sensum vaticinii asse-
qvuti essent, absurdè egissent, qvòd universali mundi mutationi per
ignem futuræ lateritiæ & lapideæ columnam apposuerint. Im-
mò lateritiæ etiam frustra posita fuisset, si universalem mundi inte-
ritum per ignem expectassent, qvía, factò hoc, omnes homines inter-
fecti essent. Qvæ de re supra fufius dictum fuit.

§. 19. Porro è Josephi testimonio, qvòd adhibet ad proban-
dam columnarū Sethianarum structuram, liquet, Antediluvianos
nescivisse destructionum futurarum ordinem, qvòd tamen, fa-
cta revelatione, veritati vix verisimile videtur; Contra pietatem
enim Sethianorum fuisset, divinæ providentiæ de conservandis sci-
entiis exstruendo columnas tales præscribere vel diffidere. Ideò meri-
to pro fabula habenda sunt Josephi dicta, nam à nemine ferè istud
factum probari potest. Hinc eruditè loqvitur supra citatus *B. Job:*
Heinric: U. sin: l. c. dicens: Quanto magis considero, tantò magis ma-
gisq; miror, fabulam tam inop: am ulli eruditorum potuisse probari. Ro-
bertus Bailius in Oper: Hist: Chron: p. 4. eqvìdem pro fabulâ habet,
qvæ Josephus de duabus columnis Sethianis lapideâ & lateritiâ dic-
it, qvibus Patriarchæ sua, qvæ posteritati committere voluerunt,
inscripsere; Sed Bailii ratio contra columnas hæc approbata non
videtur, quando addit: Nullâ literarū l. scriptionē l. sculptionem le-
gim, anteqvâ digitus DEI legē suam intabulis lapideis exarasset.
Qvam rationem multi alii quoqve adducunt, nã omnes, qvi no-
vitatem literarū defendunt, Sethianas columnas improbant, neg-
antq;. Cum tamen, non tantum ante tempora Mosis, sed ante di-
luviu

Inviunt etiam extitisse literas, probatum sit à Celeberrimo *Bangio* in Cœl. Orient. Nec ineprè etiam *Possellus* Præf: lib: de Phœnicum literis: *quis, inquit, tam demens fuerit, ut putet, homines illos sanctissimos, & eorum, qui tantum non mille annos in summa rerum indagine vivebant, filios alumnos & superstites, post mille sexcentorum & quingvagina annorum decursum caruisse literis, & suum aureum seculum sine literis instituisse! Nulla planè earum rerum, quæ vitæ & exornare & beatiorem reddere solent, sive in religione, sive moribus, sive in artibus, sive doctrinis & disciplinis sit posita, fuit Sacro Sancto illi Patriarcha Noacho mundi instauratori, quem Janum vocant incognita.*

§. 20. Allegari deniq; adhuc posset ad probandas Columnas Sethianas *Genebrardi* sententia, qui firmo quasi veritatis fundamento nitens, arbitratur, duas istas columnas alteram æneam, alteram autem lateritiam extitisse; Sed *Leo Allatius* in *Eustath:* p. 215. satis doctè respondit, nihil tribuendo huic falsæ relationi *Genebrardi*, quia non tantum pro hac sententia stabilienda nullas citavit Auctores, sed etiam, quia diversa in illis columnis calata fuisse scripsit.

§. 21. Neq; etiam allegari potest consensus plurimorum Scriptorum, qui omnes, in unum quasi consentientes, nostris columnis varias scientias inscriptas dicunt, nam illorum Scripta de hisce columnis non tantum omni veritatis fundamento carent, d. ipsi omnibus quoque contradicit *B. D. Dorsch:* qui cunctam inscriptionem scientiarum negat, dicit enim: *Si omnino ejusmodi columna statuenda sint, probabilius & Patriarchis dignius est, res ecclesiæ posteritati commissas fuisse, quàm quod de traditis scientiis ab ipsis inventis afferretur.*

§. 22. Probabile postremò minimè videretur, alteram ex his columnis *Josephi* temporibus adhuc in *Syriâ* superstitem fuisse. Nam in ista Regione crudelia & exitiosa bella suscepta leguntur, in quibus, non tantum innumerae urbes, d. & varia antiquitates devastatae atq; è hominum memoriâ deletæ sunt; Probabile ergò non est, rebus majoris momenti everfis, unicam istam columnam superstitem permanuisse. *Babyloni* etiam & alii, qui harum scientiarum, quæ columnis Sethianis inscriptæ dicuntur, notitiam habuerunt, illasq; intellexerunt, istam columnam non amplius tantis periculis expositam reliquissent, sed econtrariò talem ad se transtulissent, præprimis cum vetustatem huic columnæ interitum moliri vidissent

05 A 1868


ULB Halle 3
003 786 986



VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO HISTORICA

De

Æmnis Sethianis,

quam

in Florentissimâ Leucoreâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi,

ÆGIDII Strauchens /

Mag. Doctoris, & Collegii Theologici

honoris Gravissimi, nec non Historiarum

Prof; P. longè Celeberrimi,

Patroni, Hospitis ac Consanguinei sui omni bono-

& observantia cultu aeternum Devenerandi

atq; Colendi,

publicè Eruditorum Examine

assistit


A. & R.

M. ÆGIDIUS Strauch /

In Auditorio Majori

d. 10. Julii Ao. 1669.

honoris matut.



WITTEBERGÆ

MICHAELIS MEYERI, Anno clō. 1669. LXIX.